



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

Philippvs Melanchthon Lectori S. D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

APOLOGIA CONFESSIONIS.

PHILIPPVS MELAN-
CHTHON LECTORI
S. D.

Postquam Confessio Principū no-
strorum publicè prælecta est, Theologi
quidam ac Monachi adornauerunt con-
sutationem nostri scripti, quam cum Cas.
Maestas curasset etiam in confessa Prin-
cipum prælegi, postulauit à nostris principibus, ut illi
consutationi assentirentur. Nostri autem, quia audie-
rant, multos articulos improbatos esse, quos abijcere sine
offensione conscientia non poterant, rogauerunt sibi ex-
hiberi exemplum consutationis, ut & videre, quid da-
mnarent aduersarij, & rationes eorum refellere pos-
sent. Et in tali causa, qua ad Religionem & ad docen-
das conscientias pertinet, arbitrabantur fore, ut non
grauatim exhiberent suum scriptum aduersarij. Sed nõ
potuerunt ad impetrare nostris, nisi periculosis con-
ditionibus, quas recipere non poterant. Instituta est au-
tem deinde pacificatio, in qua apparuit nostros nullam
onus quamlibet incommodum detrectare, quod sine of-
fensione conscientia suscipi posset. Sed aduersarij obstinate
hoc postulabāt, ut quosdā manifestos abusus atq; errores
approbaremus, quod cum non possemus facere, iterū po-
stulauit Cas. M. ut Principes nostri assentiretur consutationi.
Id facere Principes nostri recusauerūt. Quomodo enī

assen-

assentirentur in causa Religionis, scripto non inspecto? Et
 audierant articulos quosdam damnatos esse, in quibus
 non poterant iudicia aduersariorum sine scelere com-
 probare. Iusserant autem me & alios quosdam parare
 Apologiam Confessionis, in qua exponerentur Cas. Ma-
 jestatis causa, quare non reciperemus confutationem, &
 ea qua obiecerant aduersarij diluerentur. Quidam e-
 nim ex nostris inter pralegendum capita locorum & ar-
 gumentorum exceperant. Hanc Apologiam obtulerunt
 ad extremum Caesareae Majest. Et cognosceret nos maxi-
 mus & grauisimus causis impediri, quo minus Confuta-
 tionem approbaremus. Verum Caesareae Majestas non
 recepit oblatum scriptum. Postea editum est decretum
 quoddam, in quo gloriatur aduersarij, quod nostram
 Confessionem ex scripturis confutauerint. Habes igitur
 Lector nunc Apologiam nostram; ex qua intelliges, &
 quid aduersarij iudicauerint, Retulimus enim bona fi-
 de, & quod articulos aliquot contra manifestam scriptu-
 ram Spiritus sancti damnauerint, Tantum abest, ut
 nostras sententias per scripturas labefactauerint. Quan-
 quam autem in his Apologiam institimus communica-
 to cum alijs consilio, tamen ego inter excudendum qu-
 dam adieci. Quare meum nomen profiteor, ne quis que-
 ri possit sine certo autore librum editum esse. Semper
 hic meus mos fuit in his controuersijs, ut quantum omni-
 no facere possem, retinerem formam & siata doctrinae. Si
 facilius aliquando coire concordia posset. Neq; nulli
 secus nunc facio. Etsi recte possem longius abducere hu-
 ius aetatis homines ab aduersariorum opinionibus. Sed
 aduersarij sic agunt causam, ut ostendant se neq; Veri-
 tatem, neq; concordiam quarere, sed ut sanguinem no-
 strum exorbeant. Et nunc scripsi, quam moderatissime
 potui, ac si quid videtur dictum aspersus, hic mihi pra-
 fandum est, me cum Theologis ac Monachis, qui scripse-
 runt Confutationem, litigare, non cum Caesare, aut Prin-

cipibus,

cipibus, quos ut deo, veneror, sed vidi nuper Confuta-
 tionem, & animadverti adeo insidiosè & calumniosè
 scriptam esse, ut fallere etiam cautos in certis locis pos-
 set, Non tractavi tamen omnes cavillationes. Eset e-
 nim infinitum opus, sed praecipua argumenta complexus
 sum, ut exiet apud omnes nationes testimonium de no-
 bis, quod rectè & piè sentiamus de Evangelio Christi.
 Non delectat nos discordia, nec nihil mouemur periculo
 nostro, quod quantum sit in tanta acerbitate odiorum,
 quibus intelligimus accensos esse aduersarios facile in-
 telligimus. Sed non possumus abijcere manifestam veri-
 tatem & Ecclesia necessariam, quare incommoda & pe-
 ricula propter gloriam Christi, & utilitatem Ecclesia
 perferenda esse sentimus, & confidimus Deo probari hoc
 nostrum officium, & speramus aequiora de nobis iudicia
 posteritatis fore. Neq; enim negari potest, quin multi lo-
 ci doctrina Christiana, quos maxime prodest extare in
 Ecclesia, à nostris patefacti & illustrati sint, qui quali-
 bus & quàm periculosis opinionibus obruti olim iacue-
 rint apud Monachos, Canonistas, & Theologos Sophistas,
 non liber hic recitare. Habemus publica Testimonia
 multorum bonorum virorum, qui Deo gratias agunt pro
 hoc summo beneficio, quod de multis necessarijs locis do-
 cuerit meliora, quàm passim leguntur apud aduersari-
 os nostros, Commendabimus itaq; causam nostram Chri-
 sto, qui olim iudicabit has controversias, quem oramus,
 ut respiciat afflictas & dissipatas Ecclesias, & in con-
 cordiam piam & perpetuam redigas.

